continetur. Omitto alias causas, proprietatesue, propter quas Plato figuras quinq; corporum simplicium mundū componētium corporibus regularibus assimilabat. Has .n. copiosius pertractatas reperies apud Platonicos. Non est tamen vllo modo existimandum, vt multi falso arbitrantur, Platonem philosophum insignem putasse, Cælum & quatuor elementa vere talibus esse figuris prædita. Ait enim in eodē Tymæo, Mundum cum omnibus partibus præcipuis, cuiusmodi sunt corpora cælestia, & elementa, factum esse rotundum, ita vt rotundius nil excogitari possit: Similitudine tamen quadam propter multas proprietates cælo, elementisq;, cum corporibus regularibus cōmunes, huiusmodi illis figuras atribuit, vt facilius explicaret & eorum naturam, & mutuam ex vno in alterum transmutationem; Maxime vero, quoniam sicut impossibile est prorsus, dari plura corpora regularia præter illa quinq; enumerata; ita quoq; quinq; tantummodo corpora illa simplicia in toto vniuerso reperiuntur, vt ex 1. lib. de cælo cōstat. Quocirca Plato solū vult in Tymæo, quinq, corpora simplicia mundū vniuersum componentia proportione quadam respondere quinq; illis corporibus regularibus.

Quod autem fieri non possit, vt aliud corpus regulare præter illa quinq; reperiatur, manifestissime constat ex ijs, quę ab Euclide sunt demonstrata: Quod tamen breuiter nos demonstrabimus, si nonnulla prius docuerimus; quorum primum est. Corpus regulare dici illud, quod clauditur vndiq; superficiebus planis, æquilateris, equiangulisq;, & inter se omnino equalibus. Secundum est, Ex duobus angulis planis nullum angulum solidum constitui posse, sed cum minimū tres angulos planos requiri. Tertium est, Omnem angulum solidum, etiamsi ex mille angulis planis, vel etiam pluribus conficeretur, minorem esse necessario quatuor rectis angulis planis, vt ostendit Eucl. lib. 11. prop. 21.

His igitur suppositis, perspicuum est, ex tribus triangulis equilateris, equiangulis, & æqualibus inter se, Corpus non posse constitui, & propterea nec ex paucioribus. Cum enim tres cum minimum anguli plani concurrere debeant ad constitutionem anguli solidi, conuenient omnia tria triangula ad vnum angulum solidum constituendum; Quare vt figura solida concludatur, requiritur quartum triangulum equilaterum illis tribus æquale: Hoc enim si accesserit, efficietur pyramis,

siue